Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 217
Quelle:
Copyright:

in VII. Psalmos dictos *Poenitentiales*, quorum Praefatio incipit: *Ne inter occupationes multiplices et sollicitudines vehementes* &c. Opus vero ipsum: *Cum omne tempus septem dierum repetitione decurrat* &c. Finis: *utcunque descripsi ad laudem et gloriam nominis ihesu christi, qui cum patre* &c. Addit Librarius: *Explicit exposicio VII. penitentialium psalmorum edita per sanctissimum patrem nostrum ac dominum dominum Innocencium romane vrbis antistitem et III. huius nominis papam. Finitum et completum Sub anno domini M° CCCC°. VII°. in vigilia symonis et iude apostolorum.* Extant Commentarii hi separatim impressi *Coloniae* 1551. et 1566. 8. et *ibid.* 1552. et 1575. f. inter *Opera Innocentii omnia*, quae, cum pietatem singularem et virtutem spirent, difficile plenam fidem accusationibus adhibeas, quibus a quibusdam Scriptoribus impetitus est.

II. *fol.* 79. *Incipiunt testamenta XII. patriarcharum in quibus sunt pulcherrime et aptissime prophecie de christo que transtulit magister robertus Dictus grossum caput* (Grosthead, Grosseteſt, Capito) *linconiens. episcopus de greco in latinum.* Testamenta haec a Judaeo quodam in Sec. I. et II. confiniis excogitata sed a Christiano postmodum interpolata, si Codici *ms. Bibl. Bodl.* 75. et *Norvicensi Job. Mori* 177. fides est, ex Hebraeo in Graecum transtulit *Johannes Chrysost.* Agit de iis fuse doctissimus *J. Ern. Grabius* in *Spicil. SS. PP.* T. I. Oxon. 1714. p. 129. 8. ubi ea graece et lat. repraesentat. Inde *Fabricius* in *Cod. Pseudepigr. V. T.* ad p. 496. transtulit. Versionis nostrae editionem *Paris.* 1549. 12. primam habuit *Grabius*, atque ita vitiosam in *Orthodoxographa* et *Bibliothecas PP.* transivisse queritur. Sed adjacet mihi Editio multo antiquior *char. goth. s. l. et a. 24. foll.* 4. unde fortasse ceterae omnes dimanarunt, ut suadet instituta collatio. Ad hujus Editionis calcem habetur Notitia illa de Versione *Testamentorum*, quam etiam *Grabius* ex *Cod. Coll. Trinit.* p. 252. repraesentat, sed omittit *Fabricius*, a quo p. 758. adlata *Testamentorum* Editio per *Menradum Molterum* 1483. ut verum fatear, mihi suspecta est. Illa porro Notitia in Editione mihi adjacente amplior est *Grabiana*, adjutoremque illum *Roberti Lincolniensis* in *Testamentis* vertendis *Nicolaum* Graecum *Rectorem Ecclesie de dachet* adpellat, quod a nemine praeter *Tannerum* in *Bibl. Brit. Hib.* commemorari video. Verum, ut jam ad *Codicem* redeam, hoc ejus est initium: *Ruben interpretatur visionis filius. Prius quam moreretur in vicesimo septimo* (omnes al. quinto) *et centesimo anno vite sue Post duos annos mortis Joseph egrotans dixit filijs suis Ecce coram deo testificor vobis deum celi hodie* &c. Atqui haec satis ab Editis abeunt. In *Testamento Gad* deficit *Codex*